

Tertio, propriissime et planissime hæc omnia futura quasi minas et oracula, uti sonant, accipias: toto enim hoc cap. Abdias minatur excidium Idumæe. Quocirca hæc verba: « Et non despicias, » etc., non connectuntur proxime præcedentibus, sed paulo remotioribus, nimirum iis: « Peribis in æternum, » *q. d.* Exscinderis et peribis, o Idumæe, tuncque amplius non despicias, ut soles, Judeos, nec in eorum clade letaberis, sed tui ipsius clade occupatus et obrutus ejulabis, et lugebis inconsolabiliter. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Rupertus, Hugo, Lyranus et a Castro. Hunc sensum exigit versio Latina, quæ omnia hæc per futurum verit, non per præteritum et sequentia. Sequitur enim: « Quoniam juxta est dies Domini: sicut fecisti fiet tibi, » *q. d.* Vastaberis, nec amplius Judeorum, sed tuis ipsius malis occupaberis et ingemiscies; quia instat tibi dies Domini, puta dies ultionis et excidii per Chaldaeos. Nota: Cum ait, « non despicias, » *despicere* hic non significat contemnere, sed deorum spicere. Hebræum enim est *לראות את ד' תהרה* ad *there*, id est non inspicias, non aspicias cum voluptate et gaudio, *q. d.* Cum eris excisa et prostrata, o Idumæa, non amplius erupe tua cum voluptate despicias humi jacentem Jerusalem, uti antea eamdem despicebas. Sic consistens in vertice montis despicit in valles, ait Ovidius XI *Metamorph.* Et Cicero, *De Arusp. resp.* « Tollam altius tectum, non ut ego te despiciam, sed ne tu aspicias urbem eam quam delere voluisti. » Et Plautus in *Cistel.* « Ad terram aspice et despice, oculis investiga. » Et in *Milit.*: « Me despexisse ad te per impluvium tum fateor. » Sic Deus ex alto despicit agones et erumnas nostras, dum nostri miseretur et succurrit.

IN DIE PEREGRINATIONIS EJUS, — quo scilicet Judas excisus et exsul peregrinari cepit apud externos et alienos. Unde Septuaginta vertunt: *In die alienorum*; Tigrina: *In die quo aliena ei accidit*; Pagninus: *In die qua alienatus est*. Hebræum enim *כנעו* *nachro* proprie idem est quod in *die alienationis*, id est exsili et peregrinationis, ejus.

NON MAGNIFICABIS OS TUUM, — *q. d.* Excisa non amplius magna, id est superba, arrogantia et acerba loqueris Judæis, non amplius arroganter eis insultabis, dicendo: « Exinanite, exinanite modo posse intelligi de eo quod fieri debuisset (cf. II Sam. iii, 33; I Sam. xxi, 16; II Reg. iii, 27), sed debere omnino ita intelligi, nisi omnem neglegere nexum velis. Etiam ab una parte copulata esse cum proximo progressus, in quibus agatur de re præterita; ab altera parte verba vers. 15, *sicut fecisti*, manifeste respicere ea que dicuntur vers. 12-14, ex quo perlocut, ad tempus præteritum referenda esse que tribus hisce versibus continentur. Quam tamen interpretationem abnuit Maurer, qui sic vertit: *Ne spesces cum voluptate diem fratris tui, etc.*

Ceterum ex observatione multorum interpretum continetur vers. 12-14 gradatio, spectatio, lætitia, insultatio, directio, proditio.

(Jerusalem) usque ad fundamentum in ea, » *Psal.* cxxxvi. Sic *magnificare* sumitur pro insultare, *Psal.* xi, 4 et 5, et *Psal.* liv, 43; solum enim insultantes magnificare, id est dilatare os, diducere labra, quin et linguam exercere.

13. NEQUE INGEREDIERIS PORTAM, — ut cum Chal-

NEQUE DESPICES ET TU IN MALIS EJUS, — id est, non aspicias cum voluptate malum et calamitatem Judæe: ita Vatablus et Pagninus. Est hebraismus, puta *beth* contactus. Hebræi enim dicunt *aspicere in malis pro aspiciere mala*.

ET NON EMITTERIS, — scilicet a Chaldeis, ut partem exercitus Judeorum, vel venientem Hierosolymæ in subsidium, vel ex ea jam capta fugientem persequaris et comprehendas. Ita Septuaginta. Aliter vertit Chaldeus, scilicet: *Non amittes*, vel non extendis, *manum tuam ad ejus opes in die excidii ejus*, ut eas rapias. Sic et Pagninus et Vatablus.

14. NEQUE STABIS IN EXITIBUS, — scilicet in diver-

15. QUONIAM JUXTA EST DIES DOMINI SUPER OMNES

GENTES. — S. Dorotheus in *Vita Abdias*, citans hæc ejus verba, sic exponit: « Dictum hoc est, inquit, superficie tenus (ad litteram) contra Seythas, id est contra Gog et Magog; certius autem et magis proprie Domino Christo convenit, nam paulo post subjungit: Erit autem salus in monte Sion. » Verum nulla hic Seytharum, Gog vel Magog est mentio; nec hi everterunt Idumæam: imo Idumæa eorum manus evadet tempore Antichristi, ut ait Daniel cap. xi, 41. Ad litteram ergo *dies Domini* vocat, diem vindicte et excidii Idumæis, aliisque calicem afflictionis propinatam a Deo per Chaldaeos infligendi, ut patet *Jerem.* cap. xxx, 15, et cap. xxxv, 6. Ita S. Hieronymus, S. Cyrillus, Theodoretus, Hugo, Lyranus et alii passim. Allegorice, dies Domini est dies judicii, quo Christus Idumæos, id est impios, mundanos et carnales damnabit et detruet in tartara.

SICUT FECISTI, FIET TIBI (sicut afflixisti Judæos, ita affligeris et vastaberis tu a Chaldeis): RETRIBUTIONEM TUAM (quod Judæis fratribus tuis retribuisti, scilicet, pro amore odium, cædes et spoliationem, retribuam tibi, et) CONVERSATIONEM IN CAPUT TUUM. — Justum enim est, ait Rhadamantius apud Aristotelem *V Ethic.*, ut quod quis injusse aliis intulit, idem subeat et patiatur, juxta illud *Psal.* cxxxvi, 8: « Beatus, qui retribuit tibi retributionem tuam, quam retribuisti nobis. » Nota he-

braisum: converttere, vel retribuere retributionem, idem est quod retribuere talionem, reddere par pari. Addit « in caput, » quia sicut caput est causa culpe, ita et « noxa caput sequitur; » caput enim, utpote in quo vigent omnes sensus, mens et tota anima, maxime sentit totius corporis noxam et penam. Rursum, quia maxima poena est quæ capiti ipsi tam sensibili infligitur, Instepit ait: « Sicut fecisti, fiet tibi, » pro: Sicut fecistis, sic fiet vobis, scilicet, o gentes universe, uti precessit, tum quia tritum tunc erat proverbium: « Sicut fecisti fiet tibi, » quod tam singulari in singulari, quam nullis et omnibus in plurali applicari et explicari potest; tum quia inter gentes hostiles quæ afflixerunt Judæos, prima et acerbissima fuit Idumæa. Ad illam ergo dirigit sermonem, sed sub ea quasi sub capite cæteras intelligit. Ita S. Hieronymus. Unde explicans subdit:

16. QUOMODO ENIM BIBISTIS (ita legendum cum Hebræis et Romanis, licet Septuaginta et quidam Latini legant, *bibisti*) SUPER MONTEM SANCTUM MEUM, BIBENT OMNES GENTES JUGITER. — *Bibere* in Scriptura dupliciter, id est contrarie sumitur. *Primo* enim bibit calix vini suavis, cum quis exsultat, convivat, et dies festos agit. *Secundo*, bibit calix vini amari, aut fellis et iræ Dei, cum quis ob scelera a Deo erumnis et suppliciis afficitur. Sic dicuntur peccatores bibere calicem furoris Dei. Jam *primo*, aliqui, tam *bibistis*, quam *bibent*, in malum accipiunt. Unde Tigrina sic vertit: *Sicut vos qui estis in monte sancto meo bibistis, sic bibent omnes gentes, q. d.* Sicut vos, o Judæi, bibistis calicem iræ Dei, sic bibent omnes gentes, ut vastentur a Nabuchodonosore, sicut vos ab eodem vastati estis: quod Rupertus tropologicè applicans explicat et improprie, fidelibus et infidelibus, sic probrat, *q. d.* Sicut pii bibunt calicem tribulationis, sic multo magis bibent impii eundem sibi propinatam a Deo, presertim in die judicii. Simili modo explicat Theodoretus, sed de Idumæis, non de Judæis, *q. d.* Sicut vos, o Idumæi, bibistis calicem afflictionis propinatam a Deo per Chaldaeos, *super*, id est *propter*, *montem sanctum meum*, quia scilicet Sionem vastatis, et Judæos afflixistis; sic pariter eundem bibent cæteræ gentes, quæ pari modo quo vos, Judæos affixerunt.

*Secundo*, alii tam *bibistis*, quam *bibent*, in bonum, scilicet ut lætitiæ significant, accipiunt, *q. d.* Sicut vos, o Idumæi, bibistis, id est bibendo, convivia et festa agitando, lætati estis *super*, id est *propter* expugnationem a Chaldeis montem Sion: sic *super* vos bibent, id est bibendo exsultabant omnes gentes quæ erunt in Chaldeo- rum exercitu, cum iisque vos spoliabunt, vestrasque opes devorabunt, et absorbeant sanguinem vestrum, atque a ad extremum in cunctos veniente cruciatu ipse quoque erunt quasi non sint, » ait S. Hieronymus, Chaldeus, Cyrillus,

Haymo, Albertus, Hugo; explicat enim illud quod dixit: « Sicut fecisti, fiet tibi; » idque jugiter, scilicet, donec penitus te absorbeant et consumant. Idumæi enim vastati sunt a Chaldeis, deinde a Juda Machabeo, II *Machab.* x, 46; iterum omnino domiti sunt ab Hyrcano Simonis (qui fuit Jude Machabeii frater) filio, teste Josepho lib. II *Antiq.* xvii, idque usque ad Judeorum excidium per Titum, quando Idumæi junxerunt se Romanis, et more suo se uli vastarent Judeos, teste Josippo Gorionide lib. IV *Hist.* cap. iv. Demum ab aliis et aliis principibus ita attriti sunt, ut jam ne Idumæorum quidem nomen supersit.

Tertio, alii aptius *bibistis* in bonum, *bibent* vero in malum accipiunt, *q. d.* Sicut vos, o Idumæi, bibistis, id est bibendo et epulando exsultatis cum Chaldeis aliisque gentibus super clade Sionis; sic pariter omnes gentes, inter quas vos eritis primi et precipui, bibent et absorbeant tum calicem iræ Dei, eis propinatam a Deo, tum calicem sanguinis mutui. Invenim enim se trucidabant, donec omnes pereant, ita ut non sint amplius. Nam Idumæos succiderunt Chaldei, Chaldaeos Persæ, Persas Græci, Græcos Romani. Et sic in omnibus verum erit vulgare proverbium: « Sicut fecisti, fiet tibi, » ita quoque S. Hieronymus, Remigius, Haymo et alii. Favent sententia: Gentibus enim exscindendis opponit Judæos ab iis afflictos, iisque promittit restaurationem et salutem, dicens: « Et in Sion erit salvatio. » Nam *bibent* non in bonum, uti censet secunda expositio, sed in malum accipi, patet ex eo quod subdit: « Bibent et absorbeant, et erunt quasi non sint, » *q. d.* Bibent calicem iræ Dei, quo consumerunt ita ut non sint. Unde Septuaginta Complutensia habent *absorbentur*, licet alii codices, ut S. Hieronymus, habeant *absorbentur*; alii, *ascendant*; alii, *descendant*, et erunt sicut non existentes. Denique sic Abdias explicat Jeremias cap. xxv, 45: « Sume, ait, calicem vini furoris hujus de manu mea: et propinabis de filo cunctis gentibus. Et bibent, et turbabuntur, et insanient a facie gladii. » Et cap. xlix, 42, agens de his ipsis Idumæis, et calice ab eis bibendo: « Ecce, ait, quibus non erat judicium ut biberent calicem, bibentes bibent: et tu quasi innocens relinqueris? non eris innocens, sed bibens bibes. » Ludit in voce *bibendi*, ob causam moralem, quam mox afferam; sicut ludit Apostolus in voce *peccatum*, dicens: « De peccato damnavit peccatum, » *Rom.* vii, 3; et II *Corinth.* v, 21: « Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit. » Rursum, per enallagen muti personam secundam in tertiam, puta *bibistis* in *bibent*, ut significet Idumæos præcipue bibisse, sed tamen cum eis bibitaras omnes gentes, uti initio thematis proposuit vers. 13 (1).

(1) Rosenmüller et Ackermann post Schurrerom,



Voluptas  
pne mei  
in dicit  
et.

Moraliter, disce hic peccatorem qui bibit calicem voluptatis, bibiturum calicem afflictionis et ultionis Dei. Idem enim calix voluptatis et mellis, in faeces fellis et tribulationis desinit, juxta illud *Psalm.* LXXV, 9: « Calix in manu Domini vini meri plenus misto. Et inclinavit ex hoc in hoc: verumtamen fex ejus non est exinanita: bibent omnes peccatores terræ. » Scribit Herodotus lib. IV, et Athenæus, lib. XI, fuvium Hypanim e fontibus quinque dierum via exilem profuere ac dulcem; deinde post aliorum quatuor dierum iter, perquam amarum. Talis est voluptas, tale ejus *ῥακισμα*, id est dulce amarum. « Amores et deliciae celeriter deflorescunt, et in omnibus rebus, voluptatibus maximis fastidium finitimum est, » ait Cicero *Pro Cælio*. Et Boetius, lib. III, metro 7:

Habet omnis hoc voluptas,  
Stimulis agit fruentes,  
Apionaque per volantum,  
Ubi grata mella fudit,  
Fugit, et nimis tenaci  
Fertit icta corda morsu.

Ita lege Dei aeterna sanctum est, ut illicita voluptas pariat tædium, angores, fastidia, et ultricis conscientie furias, quasi præclarum sui relinquat auctoramentum; insuper supplicia et flagella, quibus eam Deus castigat in hoc sæculo et in futuro, juxta illud *Apocal.* XVIII, 7: « Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit; tantum dabit tormentum et luctum. » Vide ibi dicta. Ita Venus venusta apparet oculis, sed venenat animum: virtus vero quo minus carnes captat oculos, hoc magis amoris est illex, sed sapiens, sincera et sancta.

ERUNT QUASI NON SINT, — quasi non fuerint. Unde Pagninus et Tigurina clarius vertunt: *Erunt quasi non fuissent*, ac si nunquam in rerum natura existissent.

Vers. 17.

17. ET IN MONTE SION ERIT SALVATIO. — Est hic usque ad finem capitis duplex expositio extrema,

eo quod molestum indicant, idem verbum *שחטה* *schata*, *bibere*, eodem loco positum, duplici et plane contrario sensu accipere; hand dubitan sermone subita conversione facta, qua nihil frequentius apud prophetas, redire nunc ad Judæos, ad quos sequentia pariter omnia potissimum respiciunt. Quod ipsum et vidit Aben-Ezra, qui observat inde ab hoc loco idem incipere consolatori populum suum, et sensum esse: Quæ admodum vos Hebræi castigationis poculum bibistis, sic bibent et omnes alie gentes. Quam interpretationem egregie confirmant tria loca *Jeremie* XXV, 27-29; XLIX, 12; *Thren.* cap. IV, 21, 22.

Christophorum a Castro, Schnurreram et Rosenmuller secuti sunt De Wette, Hesselbergus et alii. Horum interpretationem pluribus argumentis impugnavit Jegerius et Handewerck; que cum fusius exposuerit Maurer, sic concludit: « Jam vero ad *quosnam* *שחטתם* *schetttem*, *bibistis*, referendum videatur nobismetipsis, interrogant lectores. Ad *Judæos*, respondemus. Ad hos vero referendum non videtur nobis, sed esse referendum, firmissime nobis est persuasum.

una alteri ex diametro opposita. Prior hæc omnia ad litteram accipit de felicitate temporali Judæorum et Babylone redeuntium, eaque partim sub Zorobabel et Esdra, partim sub Machabæis per quingentos annos, qui ab hoc reditu usque ad Christum interfluxerunt, impletaque esse censet. Ita S. Cyrillus, Remigius, Hugo et alii. Accedunt Chaldaeus, R. Salomon et R. David, qui hæc ad litteram corporaliter implenda esse censent a suo Messia venturo in fine mundi. Posterior ex adverso, hæc temporaliter in Judæis adimpleta esse negat; quare hæc omnia accipit symbolice et parabolice de redemptione et felicitate spirituali quam attulit Christus. Ita S. Augustinus, lib. XVIII *De Civit.* XXXI, Rupertus, Lyranus, Clarius, Arias et Vatablus. Verum media sententia, que utramque extremam jam dictam conciliat, unit et includit, vera est, nimirum hæc ad litteram accipienda esse de sospitate et prosperitate que Judæis a Deo obligit post reditum et Babylone. Idipsum enim sequentia fute et plane exigunt; tunc enim inchoata est hæc Judæorum de Moabitibus, Ammonitis et Idumæis victoria. Mystice vero et plene per hæc prosperitatem temporalem, adumbrari et significari Christi et Evangelii victoriam, qua Ammonitis, Moabitibus, Idumæos omnesque gentes sibi ac Deo subiecit; tunc enim plena fuit hæc victoria, planeque adimpleta que hic prædicatur. Solent enim prophete a typo ad antitypum avolare, puta a Zorobabel ad Christum, in eumque desinare; ac in eo, felici vaticinio et quasi Evangelio prophetias suas terminare. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Rupertus, Haymo, Lyranus, Burgensis, Hugo et alii passim. Vide *Canon*. V et VI, quos præfixi Isaie.

Anagogice, significatur hic salus, felicitas, gloria et triumphus danda electis in Sione crelesti. Ait ergo Abdias: « Et in monte Sion, » Septuaginta: *In monte autem Sion erit salvatio*; Tigurina et Vatablus: *At in monte Sion erit evasio*, id est reliquie evadent et servabuntur, *q. d.* Cum Idumæi alieque gentes bibent calicem ire Dei, et a Chaldæis plane vastabuntur, tunc ex adverso populus Dei, puta Judæi et Sionidæ, qui eundem calicem gustarunt, sed non exhauserunt usque ad faeces, salvabuntur. Nam e Babylone post 70 annorum captivitatis reduces patriæ, pristina libertati et felicitati a Deo restituentur.

Mystice vero et plene, iidem a Christo in Sion predicante et captivitate majori, puta peccati, diaboli et inferni, liberabuntur, omnique gratia et gloria donabuntur. Ita auctores jam citati. Christus enim in Sion Ecclesiam novam instituit, ad eamque vocavit omnes gentes, mittens ad eam Apostolos, qui eas fidei, gratiæ et salutis a se parte participes effecerunt.

ET ERIT SANCTUS, — scilicet mons Sion, ob templum in eo reedificandum; vel « sanctus, »

scilicet Deus, erit habitans in monte et templo Sion. Hebraice est, et in monte Sion erit evasio, id est salus et sanctitas. Jam sanctitas vel proprie accipi potest, vel figurate pro templo: templum enim Hebræi vocant *קודש* *kodes*, id est sanctitas, quia sanctissimum est, utpote in quo Dei sanctitas habitat, et collitur per sancta sacrificia, sacramenta, vota, preces, etc. Unde Septuaginta vertunt, et erit sanctum. Hinc prior pars templi vocabatur Sanctum, posterior Sanctum sanctorum. Sensus ergo est, *q. d.* Mons Sion erit, primo, sanctus ob sanctum templum cultumque Dei in eo restaurandum a Zorobabel et Esdra; secundo, sanctorum erit, cum Christus in eo predicabit; tertio, sanctissimus erit, cum Christus in eo effundet Spiritum Sanctum in Apostolos, qui hæc sanctitatem transfundent in totum orbem, ait Theodoretus.

ET POSSIDERIT DOMUS JACOB EOS QUI SE POSSEDERANT. — « Domus Jacob » sunt familia, stirps et posterii Jacob, puta due tribus Babylone redeuntes. Rursum hebraice *מורשתם* *moreschem*, primo, significat hereditates suas, *q. d.* Judæi redibunt ad suas possessiones quas ante captivitatem habuerant in Judea. Ita Pagninus et Vatablus. Secundo, significat possessores suos, id est eos qui se possederant. Ita Noster, Septuaginta et Chaldaeus, *q. d.* Judæi possessiones suas, quas Idumæi alieque invaserant et occupaverant, dum ipsi abducerentur in Babylonem, recipient, exclusis Idumæis aliisque invasoribus et injustis possessoribus. Ita narrat Josephus, lib. XI *Antiq.* IV, Darium Hystaspis, qui Cambysi filio Cyni in regno Persarum successit, dedisse Judæis facultatem reedificandi templi, ac mandasse Idumæis, Samaritis et Syris, ut agros Judæorum quos occupaverant, ipsis quasi avitiis possessoribus restituerent. Nec tantum Judæi sua receperunt, sed et aliena, puta ditones Idumæorum et vicinarum gentium, hostium suorum, invaserunt et occuparunt. Qui enim invadit aliena, meretur perdere sua. Id factum a Juda Machabæo, II *Machab.* X, 16, et ab ejus nepote Hyrcano, qui Idumæos omnino perdomuit et subjugavit. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Remigius et alii. Mystice, plenus et perfectus id factum a Christo et Apostolis, qui e Sione egressi Idumæos omnesque gentes vere Sioni, id est Ecclesie et Christo, subjecerunt. Ita Lyranus, Arias, Vatablus.

Vers. 18.

18. ET ERIT DOMUS JACOB IGNIS, ET DOMUS JOSEPH FLAMMA, ET DOMUS ESAU STIPULA. — « Domus Jacob » sunt due tribus, ut dixi: « Domus Joseph » sunt decem tribus Israel; harum enim caput fuit Ephraim progenitus ex Joseph, *q. d.* Due tribus, puta Juda et Benjamin, cum illis qui e decem tribubus vel ante captivitatem, vel post eam se Jude junxerunt, et in eandem rempublicam ac Ecclesiam cum eo in Jerusalem et Judea conspirarunt, invadent Idumæam eamque

succendent, aut sibi subdent, sicut ignis sibi subdit stipulam. Factum id litteraliter a Juda Machabæo, et Hyrcano, qui Idumæos ad circumcissionem compulsi fecerunt Judæos, teste Josepho lib. XIII *Antiq.* cap. XVII. Unde, obsessa Jerusalem a Tito, viginti millia Idumæorum in Judæorum auxilium venerunt, ait Josephus lib. IV *Belli*, cap. VI. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Remigius et alii. Mystice, id factum ab Apostolis, qui igne charitatis Christi combusserunt infidelitatem, vitia et idola Idumæorum, ut peccatis mortui, justitiæ et Deo viverent, Ita Lyranus, Arias, Vatablus et alii.

ET SUCCENDERET (« domus Esau, » id est Idumæi) IN HIS (puta per flammam Joseph et ignem Jacob); ET DEVORABUNT (Jacobita et Josephita) EOS, — scilicet Esauitas et Idumæos.

ET NON ERUNT RELIQUÆ (id est residuis, ut vertunt Aquila et Theodotus; vel, *effugiens*, ut Symmachus) DOMUS ESAU. — Septuaginta vertunt: *Non erit ῥακισμα*; domus Esau: *ῥακισμα*, id est frumentarius, qui frumenta suggerat, qui habeat curam annonæ adhibenda et admittenda; unde Lucilius, qui Magni Pompeii magnus fuit avunculus, lib. IX *Satyr.*:

Frumentarius est, modicum hic secum atque rutellum  
Una adfert.

Rutellum vel rutrum dicitur a *radendo*, ait Nonius, quod frumentum modium superans abradat. Alii, ait S. Hieronymus, legunt *ῥακισμα*, id est ignifer, qui gestare possit igniculum, idque longe verius est. Alludit enim ad id quod processit: « Erit domus Jacob ignis, » *q. d.* Domus Esau non feret, non sustinebit ignem domus Jacob, sed et succumbet et comburetur.

Quæres, primo, quis sit hic *ῥακισμα*, vel *ῥακισμα* Ignifer quis? (hæc enim duo idem sunt), id est ignifer? Primo, aliqui *ῥακισμα* accipiunt pro milite valido, qui ignes spirat, et ignes tectis hostium injicit. Ignis nomine, ait Theodoretus, vis ac robur intelligitur, *q. d.* Nulla vis Idumæis relinquetur.

Secundo, a Castro sic exponit: *Non erit ignifer*, id est superstes Idumææ, qui posteris vitæ generisque lampada tradat. In Scriptura enim generis propagatio vocatur lucerna: a qua sicut lucerna ignem et lumen, sic generatio familiam conservat. Unde istud: « Ut remaneat lucerna (id est posteritas) David, » III *Reg.* XI, 36, ubi est elegans allusio ad presicum ritum *λαμπάδα* *lampada*, quo solebant in Promethei (hunc enim dicitant ignem et cœlis suffuratum, eundem in terras detulisse) ludis cursores defatigati, lampadem recentibus sibi vicissim succedentibus in manus dare, quasi symbolum humanæ propagationis, juxta illud Lucretii:

Et quasi cursores vitæ lampada tradunt.

Quod imitatus Plato, lib. VI *De Legibus*, scribit Ignifer quasi cives oportere liberis generandis atque educan-



prelli per legum sig. nifer.

dis operam dare, ut vitam quam ipsi a majoribus acceperunt, vicissim quasi ledam ardentem posteris tradant. Quare Graeci forte a Prometheo hoc proverbium sumpservnt: « Non est pyrophorus, » id est nullus est superstes, ne Prometheus quidem ignifer. Pyrophorus enim est Prometheus, qui solus diluvium Deucalionis evasit, ideoque igne celestis genus humanum quasi alter Noe restaurasse fertur, vel potius fingitur. Si enim hic pyrophorus perisset, perisset plane genus humanum.

Tertio et gemine, Luisius Legionensis, et ex eo Delrio, adagio 984, per pyrophorum accipiunt priscum antesignanum et legatum castrorum, quem ita depingit Alexander ab Alexandro lib. V Genial. cap. III: « Prævaluit Graecorum mos, ut quoties prociuncte acies congressi parant, ante prima signa staret vates, laureos ferens ramos et corollas; cui Pyrophoro dixere nomen, quoniam lampada præferret, quem violare summum habebatur nefas, quod legati munere fungeretur. » Accepti hoc Alexander a Suida voce πυροφωστής, qui et addit, vates hosce πυροφωστής fuisse sacerdotes, ideoque inviolabiles, indeque manasse proverbium: « Ne πυροφωστής, id est ignifer, quidem superfluum: » quo utebantur Graeci æque ac Latini, dum crudelum aliquam stragem, in qua omnes ad unum cæsi essent, significare vellent. Ita et Polux et Hesychius. In Pyrophorus, inquit, qui fert ignem, et solus servabatur in bello. » Quin et Philo Judæus, lib. I De Vita Mosis, tantam Egyptiorum in mari Rubro fuisse stragem ait, « ut nec reliquis esset cladi vel ignifer, qui eam nuntiaret. » Huc accedit S. Hieronymus, qui πυροφωστής interpretatur frumentarius. « Eos enim, inquit, quos nunc agentes in rebus vel veredarios appellant, veteres frumentarios nominabant, » q. d. Ne πυροφωστής, id est frumentarius, puta veredarius, hoc est nullius, tante Idumæorum cladi supererit. Nam is vel ab hoste dedita opera relinqui, solet ad eam nuntiandam. Quocumque alludatur, certum est per πυροφωστής significari residuum et supersistem, ut notat Theodoretus, quia id significat hebreum שריד sarid, itaque vertunt Aquila, Symmachus, Theodotion, omnesque Interpretes.

Idumæi quando perierint?

Quæres secundo, an, quando et quomodo reliquos omnes Idumæorum perierint? Respondent aliqui sensim omnes perisse, licet quando perierint non constat. Perisse enim liquet ex eo quod jam ne Idumæorum quidem nomen supersit: gens ergo perit, licet ex ea pauci aliqui, itque pauperes et imbecilles, remanserint. Verum obstat quod Abdias significet a Judæis perditos esse Idumæos, ita ut ne unus quidem eorum supersit. Hoc autem falsum esse videtur: nam cum Judæi excisi sunt a Tito, supererant Idumæi, imo venerunt in auxilium Judæorum, ut paulo ante dixi. Postquam autem Judæi excisi sunt a Tito, non potuerunt delere Idumæos. Res-

pondeo ergo reliquias Idumæorum perisse, quia Idumæi subacti ab Hyrcano ad unum omnes circumcisi sunt; itaque desiderint esse Idumæi, et coeperunt esse Judæi. Hoc est quod paulo ante dixi: « Possidebit domus Jacob eos qui se possederant; » et vers. 21: « Et ascendent salvatores in montem Sion judicare domum Esau: et erit Domino regnum. » Ubi plane significat non perituros posteros Esau, sed judicandos, id est regendos, a Sionidis et Judæis, ita ut fiant Judæi et regnum Dei. Mystice vero, Idumæi conversi ab Apostolis et viris Apostolicis desiderint esse Idumæi, et coeperunt esse christiani. Denique si qui noluerint, vel adhuc nolint converti, hi aut perierunt, aut peribunt in die judicii, cum Christus omnes infideles exterminabit et relegabit ad tartara.

Dices: Daniel, cap. xi, 41, asserit Idumæos fore tempore Antichristi, et ab ejus tyrannide fore immunes. Respondeo: Idumæos vocat incolae ejus montis et rupis, quem olim incoluerunt Idumæi, qui jam sunt alia gens, aliudque nomen obtinent. Hi enim ob rupes et montes inaccessi, evadent castra et furorem Antichristi.

49. ET HEREDITABUNT III (puta domus Jacob et Vers. 14. Joseph id est Judæi eos) QUI AD AUSTRUM SUNT (puta) MONTES ESAU, etc. (1). — Unde clare vertit Tigurina et Vatablus: Occupabunt domus Jacob et Joseph, austrum, nempe montem Esau. Nam Judæa ad austrum habet Idumæam; ad occidentem, Philisteam; ad aquilonem, Samaritam et Galileam; ad orientem, Galaad, Moab et Ammon. Unde vers. 20, de Jerusalem dicitur: « Possidebit civitates Austri. » Verum melius cum Nostro, Pagnino et Septuaginta veritas: Auster, id est qui ad austrum sunt, possidebunt montem Esau; et campestria, id est qui in campestribus habitant, possidebunt Philistinos. Hunc esse sensum patet, si quis intueatur Hebræa. Septeta enim est nomen proprium regionis campestris Judææ, ut patet ex tabulis Adrichomii, quam recte Campaniam verteris. Unde et Tigurina posteriori parte huc inflectit; vertit enim, et declives campi (id est campestria) possidebunt Palastinos. Rursum hunc sensum exigit id quod sequitur: « Et Benjamin possidebit Galaad. » Ergo Auster, vel ad austrum, non sunt Idumæi, sed Judæi. Hi dicuntur esse ad austrum, non respectu Idumæorum: horum enim respectu sunt ad aquilonem; sed respectu Benjamin et aliorum Judæorum. Sensus ergo est, q. d. Judæi illi qui præ aliis magis ad austrum vergunt, ideoque eorum respectu Aus-

(1) Hoc et seqq. versibus uberius pertractat, quæ vers. 17 exponere coepat, Hebræos non modo sedes suas pristinas recuperaturos, sed et fines suos prolaturos esse. Cæterum in vaticinio non singula sunt torquenda, cum historia Judæorum post exsilium omnia eorum fata referens dicitur; quare singula quæ Propheta prædicit, ex ea probare non possumus, ex eo vero veritas vaticinii nullo modo impugnari potest.

trales vocari possunt, hi possidebunt Idumæam, utpole australem pariter, ideoque sibi viciniorum: Judæi vero qui Sepheta, id est campestrum regionem incolunt, puta eam quæ est circa Eleutheropolim, vel eam quæ est circa Lyddam et Emaus, id est circa Diospolim et Nicopolim, possidebunt urbes et agros Philistinorum: utpole sibi viciniores, puta Gazam, Ascalonem, Accaron, Geth et Azotum: insuper tribum Ephraim, et reliquam Samaritam, quæ illis ab Oriente vicina sunt. Tribus vero « Benjamin possidebit Galaad: » illi enim vicina est Galaaditis. Ita S. Hieronymus, Ribera et alii. Sensus ergo est, q. d. Judæi redeuntes e Babylone possidebunt circumneira ad quatuor mundi plagas regiones vicinas suorum, easque inter se congrue pro situ et vicinitate loci distribuent: unde et Ezechiel eidem illas distribuit, cap. XLVII. Id ex parte et inchoate impletum est per Machabeos, Judam Simonem, Jonathan, Hyrcanum, et Alexandrum Hircani filium. Hi enim subegerunt Idumæos, item Philistinos, puta Azotum et Gazam, sive Gadaram, I Machab. v, 65 et 68, et II Machab. x, 16 et 32, et seq. Item sortem tribus Ephraim, adeoque totam Samaritam, quam Hyrcanus Simonis filius omnino subegit, excois tempore in monte Garizim Hierosolymæ annulo, teste Josepho lib. XIII Antiq. cap. XVII et XVII. Item Galaaditem, I Machab. v, 36; item omnes ditiones Chananeorum usque ad Sareptam, quæ est inter Tyrum et Sidonem, hoc est urbes omnes maritimas Palæstinarum usque ad Sidonem, nimirum Janniam, Joppem, Dor, Cesaream, Ptolemaida, Tyrum ipsamque Sareptam, ut patet ex Josepho, XIII Antiq. XXII, et ex Josipho, lib. IV, XII. Unde et postea Augustus Cæsar, occupata Judæa, hæc omnia Judææ subjecta dedit Herodi Ascalonite, eoque mortuo illa in quatuor tetrarchias divisit, tradiditque filiis ejus, quos tetrarchas constituit, Luc. III, 1. Verum quia Machabeæ hæc loca subjecerunt quidam, sed non occuparunt (nec enim in his locis habitarent Judæi, sed Philistei, Samaritæ, Idumæi, etc.); quod tamen fore hic significat Abdias, dicens: « Et hereditabunt et possidebunt; » hinc secundo, plenus id impletum est mystice ab Apostolis, qui fundata Ecclesia in Judæa, inde exiuntes ad vicinos Samaritas, Idumæos, Philistæos aliosque populos, omnes illi subjecerunt. Ita Lyranus, Arias, Vatablus, et a Castro in paraphrasi: Apostoli, inquit, virique apostolici distribuerunt sibi omnem circum regionem, quam Evangelico bello Christo subjeciant, et qui ad meridiem exierint, perlustrabunt Idumæam; qui ad occidentem, terram omnem Philistæam; qui ad septentrionem, Galileam et Samaritam; at qui ad ortum, possidebunt Christo Galaaditas et Arabes: nominatim vero « Benjamin, » id est S. Paulus ortus ex tribu Benjamin, « possidebit Galaad; » qui ipse convertit Arabiam, cujus

pars est Galaad: nam, ut ipse ait Galat. I, 17: « Abii in Arabiam, » ut ibi ex vocatione et officio meo de more prædicarem, Arabesque facerem christianos.

20. TRANSMIGRATIO EXERCITUS HUIUS FILIORUM ISRAEL, (q. d. Exercitus, vel turma et multitudo hæc Israelitarum transmigrans, hoc est, que olim e Judæa captiva a Chaldeis abducta transmigravit in Babylonem, tandem inde feliciter et gloriose rediens, possidebit) OMNIA LOCA CHANANEORUM (puta totam illam plagam maritimam quæ excurrit) USQUE AD SAREPTAM — Sidoniorum: quare plura possidebit post captivitatem quam ante eam possederat. Ita S. Hieronymus, Cyrillus, Theodoretus, Haymo et Hugo. Pro Sareptam hebraice est צרפחה Tsarphath, per quod Hebræi, R. Salomon, R. David, Lyranus, Clarius, Pagninus, Arias, Vatablus et alii accipiunt Franciam: hæc enim esse Sareptam Galliarum, sicut illa Judæica, in qua vixit Elias, diæta fuit Sarepta Sidoniorum, quia erat prope Sidonem; forte ex eo quod hi Sareptani ex se coloniam duxerunt in Galliam, sicut Tyrii Carthaginem et Tartessum in Hispania; aut ex sylvris et officinis confiatoris æris, ferri, laterum, etc., quibus Gallia abundavit. Inde enim dictam voluit Sareptam Sidoniorum: radix enim צרף tsaraph significat accendere, conflare; aut aliunde. Nil enim certi hæc de re afferri potest. Sic per Chananeos, R. David, Arias et alii accipiunt Alemannos: Chananeos enim, postquam ex Chananeæ per Josue et Israelitis ejecti, per varias gentes, puta Africanam, Illyricum et Germaniam dispersi sunt, dictos esse Alemannos. Alemannus enim germanice idem est quod omnis vir, omnis gens, q. d. Prædicatores Evangelici Christo subjeciant Africanam, Illyricum, Germaniam omnesque Chananeos, id est gentes idololatrias et impias, usque ad Gallias, ad quas venit S. Magdalena, Martha, Lazarus, Maximinus, Martialis et alii, qui eas ad Christum converterunt. Perperam Judæi hæc expectant corporaliter a suo Messia, nimirum ut omnes hæc regiones eis subjeciant, quin et Galliam et Hispaniam, adeo ut Judæi toti pene orbi dominentur.

Isr. 20.

Sarepta Gallia.

Chananeæ Germania.

ET TRANSMIGRATIO JERUSALEM, QUÆ IN BOSPHORO EST, POSSIDEBIT CIVITATES AUSTRÆ, — q. d. Hierosolymitani qui e Judæa transmigraverunt in Bosphorum, reversi in patriam, possidebunt urbes australes, puta civitates suas, nimirum Judæam, quæ respectu Babylonis et vicinarum regionum est australis. Nota: Pro Bosphoro hebraice est צרפחה Sapharath, quod ut nomen proprium retinuerunt Aquila, Symmachus et Theodotion, et, ut videtur, Septuaginta; vertunt enim, Ephrata. Suspicor cum Ribera in Septuaginta legendum, Sapharata: sic enim habent Hebræa, et sic verterunt alii jam citati. Lyranus vult esse locum in Babylonia. Noster autem Hebræus, ait S. Hieronymus, dicit Bosphorum vocari Sapharath, forte a סופר soph, id



est terminus, et *רד* *rad*, id est descensus, vel *רד* *eret*, id est terra. Bosphorus enim est terminus Græciæ, Thraciæ, aliarumque terrarum. Aut certe a *soph*, id est terminus, *pered*, id est divisionis, quia dividit duo maria et duas continentes oppositas, adeoque Asiam ab Europa discludit. Unde et S. Hieronymus addit *Sepharad* assyriacæ significare universaliter terminum. Adde: Hebræum *בִּשְׁפָרַד* *bispharad*, et consonantes spectes, idem pene est quod *Bosphorus*. Nam *beth* in *bispharad* potest accipi ut radicale, non ut servile significans *in*. Hinc et chaldaicum *sophora* idem est quod terminus, limes, portus, statio; arabice vero est transitus sive trajectory: *سفر* *saphar* enim arabice idem est quod transit, traiecit, navigavit. Unde et Melitenses (qui multas habent voces mutatas a Syris et Arabibus) *sepharad* vocant trajectorym sive transitionem boium; et *sephar-beim* vocant transitionem animalium; indeque nonnulli viri docti putant *Sepharad* fuisse urbem juxta Bosphorum, ita dictam a transitione animalium per illas maris angustias, quam expugnavit Sennacherib, *Isaie* xxvii, 49. Porro Bosphorus est angustum mare, quod a bobus tranari potest, ait Plinius lib. VI, cap. i. Ita dictus, quod sit *וּבֵי רַגְלֵי בֵּי* *regia*, id est bovis iter et via. Bosphorus est duplex, unus in Pontotide, qui Chalcedonem a Constantinopoli brevi freto dividit: hic Thracicus cognominatur; alter in introitu Mæoticis paludis, qui a populis accolis Cimmericus dicitur, de quo Ovidius:

Bosphorus et Tanais superant Scythique paludes.

De Thracio hic agi videtur, eosque enim relogatos et dispersos fuisse Judæorum captivos in captivitate Babylonia docet S. Hieronymus hic, et in *Zachar*, cap. x, Hebræi, Emmanuel, et Mariana, qui tamen censet Judæos in Bosphorum relogatos ab Adriano imperatore, non a Chaldeis. Alii tamen viri docti censent hic agi de Bosphoro Cimmerico; in eo enim dominabantur Assyrii, indeque colligebant millies. Pontici enim et Cimmerici, ex climate frigido et aspero, erant homines duri et asperi, ideoque in bellis sevi et acres. Unde Diodorus Siculus, lib. III, cap. vii, ait Sardapanalum prævidentem exitum ex oramulo dicente, Nivem tunc capiendam cum fluvius ubi hostis heret (tunc enim Tigris imbribus exarscens muros Ninives dejecerat ad stadia viginti) tres filios amandasse cum magna auri copia in Paphlagoniam ad Cottom præsidem, ducum omnium sibi acceptissimum. Paphlagonia autem vergit ad Bosphorum et Pontum; quocirca Strabo hoc regnum vocat Bosphoranum. Eo ergo multos Judæorum ab Assyriis et Babyloniis relogatos censent, qui in aspera regione ab asperis incolis dura patiebantur. Ibi enim est Cerberion mons et oppidum, Cocytus, Phlegeton et Tartarus; quocirca Homerus inferni sedem collocat apud Cimmericos, sive ob perpetuas

tenebras, sive ob metallorum frequentes fodinas, sive ob valles opacissimas et liberno soli inaccessas; adeo ut Gentiles censerent illic esse inferni ostium. Sicque accipiunt illud *Isaie* xxviii, 13: « Percussimus fœdus cum morte, et cum inferno fecimus pactum, » puta cum Cimmericis et regno Bosphorano, sellicet cum Assyriis regnantibus in Ponto et Bosphoro. A tam æva ergo et horrida captivitate Judæos liberandos prædicat Abdias; ac per hoc representat nos a morte et inferno liberandos per Christum: ut, sicut Judæi ab aquilone rigidissimo translati sunt ad austrum calore suavissimum; ita a peccato, aecidia et vitiiis per Christum transferamur ad auram et flatum suavissimum Spiritus Sancti, que nos amore Dei et virtutis faciat ardentes. Huc facit illud Tibulli, lib. III, *eleg. v*:

Elysios olim licet cognoscere campos,  
Lethæaque ratem, Cimmericoque lacus,

infernos sellicet et caliginosos. Et istud Lucani:  
Sic stat iners Scythicas astringens Bosphorus undas.

Porro Plinius, lib. II, cap. xv, asserit Bosphori Cimmerici latitudinem esse mille quingentorum passuum. Regni Bosphorani rex postmodum fuit Mithridates, eo spoliatus a Romanis.

Sensus ergo est, Judæi qui in captivitate Babylonia in Bosphorum translati sunt, inde cum cæteris Judæis a Babylone redeuntibus revertentur, et possidebunt civitates Austri, puta Judæam patriæ suæ, que australis est.

Porro Hebræi, Chaldeus, Syrus, Arabicus uterque, Josippus filius Gorionis, lib. III *Histor.* cap. xv, et lib. V, cap. xxv; R. Salomon, R. David, Lyranus, Clarius, Pagninus, Arias, Vatablus, Burgensis, a Castro, Emmanuel, Mariana et alii multi per *Sepharad* accipiunt Hispaniam; et ita Rabbinii ubicumque sint, Hispaniam vocant *Sepharad*. Hispania enim a geographis et poetis præcisè ponitur ultima pars orbis; unde juxta Compostellam locus est, qui dicitur *finis terræ*. Bosphorus ergo Hispanicus sive Gades, sive fretum Herculeum, vulgo *strictum Gibraltar*, ubi sunt columnæ Herculis, qui eas sibi posuit quasi fines suæ professionis suarumque victoriarum; unde eas superans Carolus V, mittendo classes in Americam, hoc sibi symbolum sumpsit: « Plus ultra, » *q. d.* Superavit Herculeum ejusque vicinis habitantibus juxta Bosphorum et Pontum Euxinum, indeque vocatos Iberos, ut dixi *Genes. x, 2*. Favet nomen *Sperida*, quo Græci, ait Arias, Hispaniam appellant: *Sperida* enim, si litteras consonantes, quas solas considerant Hebræi, spectes, idem est quod *Sepharad*; licet Græci Hispaniam vocent *Ἰσπρία* et Hesperiam, eo quod occidentalis sit regio; forte a Græco *Ἰσπρία* Hebræi Hispaniam vocarunt *Sepharad*; Græcis enim

Sepharad  
Hispania.

vicini erant Phœnices et Judæi. Audi rem miram ex Josepho, lib. I *Contra Apion.*: « Nam Gallos et Hispanos usque adeo ignorarunt scriptores, etc., ut Hispanos qui tantum occiduae terræ partem incolunt, urbem unam esse putaverint, eo quod illa gentes nullum haberent cum cæteris commercium. » Rursum favet huic sententiæ, quod Josephus, lib. XI *Antiquit.* cap. xi, ex Megasthena, asserit Nabuchodonosorem post excidium Jerusalem subjugasse Hispaniam; videtur ergo plures Judæorum eo transulisse. Juxta hanc sententiam sensus erit, *q. d.* Judæi in Hispaniam traducti, inde cum cæteris Babylone redeuntibus sub Cyro revertentur in civitates Austri, puta in Judæam.

Mystice, *q. d.* Apostoli e Judæa in Hispaniam excurrunt, atque ab australi regione Gadum et provinciam Beticæ, in alias Hispaniæ provincias, indeque in Africam, imo in Brasiliam, Americam, Ethiopiam (hæ enim omnes sunt ad austrum) trajicient, easque omnes Christo subjicient, uti fecerunt S. Jacobus, S. Paulus, eorumque successores. Magna enim gloria Ecclesiæ, æque ac Hispanorum et Lusitanorum est, novi orbis, puta Iudæarum Occidentalium et Orientalium, subjugatio et conversio. Ita præter alios Acosta, lib. I *Indiæ Histor.* cap. xv, ubi ait deesse ut in Scriptura tanta rei, puta Americæ, conversio exstet.

Impugnans hanc sententiam fuse Sanchez et Ribera (licet qui hujus compendium confeci, eam tueatur). *Primo*, quia recentiores Hebræi tantum Hispaniam vocant *Sepharad*. Responderi potest Chaldeum interpretem esse veterem, item Josippum, eosque a veterioribus id accepisse. *Secundo*, quia S. Hieronymus *Sepharad* vertit, Bosphorum, non Hispaniam, non Gades. Respondeo: Bosphorus græce nomen commune est, et in genere maris angustias que a bobus tranari possunt significat; latine maris angustia inter duas continentes vocatur *Porthmos*, sicut ex adverso terra angusta inter duo maria, vocatur *Isthmus*. Sicut ergo est Bosphorus Thracicus, et alter Cimmericus, ita est et Hispanicus, puta Gades, æque ac Indicus in freto Magellanico, et Arabicus et Persicus in sinu Arabico et Persico. Rursum hebræum *Sepharad* assyriacæ, teste S. Hieronymo, in genere terminum significat; fieri autem potest ut hoc nomen genericum appropriatum sit Hispaniæ, quia ipsa ab Occidente est finis et limes Europæ, post illam enim, adeoque post Gades sequitur Oceanus. Sensus ergo est, *q. d.* Judæi qui per omnes terminos, adeoque usque ad Bosphorum dispersi sunt, ad austrum, id est ad Judæam, redibunt. Ita S. Hieronymus.

Mystice, Apostoli et viri apostolici in terminis regionum, ut in Bosphoro Thracio, Cimmerico, Hispanico, etc., constituti, inde pergunt ad provincias australes, easque nomine Christi possidebunt. Christi enim salus et Evangelium a Chanaanæ per meridiem cæterasque plagas usque in

Galliam, Germaniam, Hispaniam, Africam, Americam transmigravit, totumque orbem pervasit.

Porro *Sepharad* peregrinum, puta Assyriacum, esse nomen inde colligi potest, quod hebrææ radices sint trilitere; quadriliteræ ergo, uti est *Sepharad*, sunt peregrinae et ex alia lingua ascite; vel certe ex duabus radicibus Hebræis conflatae sunt et compositæ. Id notant peritiores Hebræi. Rursum hebræa nomina sunt communia multis, et plura significant. *Sepharad* ergo Bosphorum Thracium, Cimmericum, Magellanicum et Gaditanum, indeque Hispaniam significat. Ipsa enim est terminus (quem significat *Sepharad*) continentis, quia majori parte mari, tum Mediterraneo, tum Oceano cingitur. Et esto, post tempora Abdiæ ac Christi Hispania a Judæis vocata esse *Sepharad*, tamen quia ab omnibus omnino Judæis prætoriorum seculorum (quos novimus) ita vocatur, credendum est ad eam quoque respexisse Abdiam; quia non tantum hominibus sui ævi, sed nostri, sua scriptis oracula. Sic Isaias, cap. xlix, 12, prædixit conversionem Sinarum, eosque hebræice vocat *Sinai*, esto ævo Isaiæ non haberent hoc nomen, sed nostro, quo ejus prophetiam expleri cernimus, ut ibi dixi.

Dices: Abdiæ prophetæ hic de solis Judæis, illi autem in Hispania pauci numero ad Christum fuerunt conversi; reliqui in judaismo manserunt; unde a Ferdinando et Isabella Hispania excedere sunt jussi. Respondeo ad litteram: permitti Judæi per vastationem Judææ in Hispanias aliasque oras dispersi, sub Cyro et Machabæis in Judæam redierunt. Mystice colligi quoque ex iis ad Christum sunt conversi. Multi enim ab Adriano imperatore Judæa expulsi, profugerunt in Hispanias. Imo Lucius Dexter, cui Hieronymus inscribit Tractatum *De Scriptor. Eccles.*, in Chronico nuper edito, tradit Judæos Hispanos, cum inaudissent de prodigiis Christi et Apostolorum, misisse legatum ad eos qui alios ex iis in Hispaniam multi deposcerat; unde mox missum esse S. Jacobum, quem solis Judæis in Hispania prædicasse censet quoque Baronius et alii; qua de re plura dicam *Actor. xii*. Denique Judæi et Israelitæ non carnales, sed spirituales hic intelliguntur, puta credentes in Christum. Hi enim sunt veri Israelitæ, filii Abraham, et promissorum Dei hæredes, ut docet Apostolus Rom. cap. ix, 6 et seq.

Tropologie, Hugo de S. Victore per septem hæcæ gentes accipit septem vitia capitalia, que Jacob, id est fidelis luctator, habitans in Sion, id est in aliis per septem virtutes contrarias, et per septem dona Spiritus Sancti, ac per septem petitiones Orationis Dominicæ, septemque primas beatitudines: *primo* ergo Esau et Idumæi, odio Judæorum flagrantes, denotant iram. Hanc supplantant ii « qui ad austrum sunt, » puta qui vento calido et spiritu charitatis dilatati et accensii, omnes angustias omneque frigus odii et iracundiæ suffo-

Septem  
gentes  
septem  
vitia.



can; secundo, Philitim, id est conspersi cinere, vel ruentes polvi (a radice פלילי *phalil*, id est occidit, et a פלילי *phalil*, id est bibit, teste Pagino in *Interpret. Nom. II. 4.*) denotant gulam et gulosos. Hanc supplantant qui « in campestribus » frugalitatis, temperantiae et continentiae degunt, ac clericibus et legitimis campestribus, potius quam carnibus et deliciis urbanis vescuntur, idem, *tertio*, subingunt et possident « Ephraim » id est superbiam; et *quarto*, « Samariam » id est invidiam; Ephraim enim dedit reges superbos Israeli, Samaritae invidi fuerunt et aemuli Iudaeorum; *quinto*, « Benjamin » id est filius dexterae, puta strenuitas, diligentia et fortitudo, « possidebit Galaad, » id est subjungat aediam; Galaad enim idem est quod acervus testimonii, ubi et Laban fessus destitit persequi filias suas, ac recessit a Jacob; *sexto*, « transmigratio Israel, » id est fideles, qui in terra peregrinos se estimant, ac migrant in caelum ut videant Deum, eique dominantur, possident omnia loca Chanaanorum et Saepe, id est omnes avaritiae artes et species subingunt. Chanaanem enim idem est quod mercator, cuius propria est avaritia: Saepe idem est quod conflatorum, in quo scilicet conflatur aurum et argentum. *Septimo*, « transmigratio Jerusalem, quae est » in Sepharad, sive « Bosphoro, » id est fideles, qui debellatis animi perturbationibus ad visionem pacis aspirant et transmigrant, ideoque a carnis deliciis longissime recedunt, sensusque omnes coarctant, et per bovinos labores edomant, hi, inquam, possidebant civitates Austri, id est omnes libidinis et carnalis concupiscentiae aestus suppressant et extinguunt; itaque quasi salvatores, victores et triumphatores de Idumaeis ceterisque hostibus devictis, gloriose ascendunt in montem Sion, id est in caelum, ibique cum Deo regnum felicitatis aeternae inibunt, quod hic per gratiam, siquidem et victoriam victoriam inchoarunt. Nota vox *exercitus*, cum ait: « Transmigratio exercitus hujus florum Israel; » exercitus enim dicitur multitudo militum, eo quod exercendo fit melior. Ita Vegetius, lib. II *De Re milit.*: « Numerus, inquit, militum exercitum; unde et reipsa ab opere exercitus nomen accepit, ut ei nunquam liceret oblivisci quod vocabatur. » Ita olim Romani (uti etiamnum strenui duces) milites suos, praesertim firones, perpetuo in armis omnique labore et austeritate caestrens exercerebant. Audi Ciceronem, *Tuscul. II*: « Nostri exercitus primum unde nomen habent videtis; deinde qui labor quantum agminis, ferre plus dimidiatis mensis cibaria, ferre si quid ad usum velint, ferre vallum; nam scutum, gladium, galeam in onere nostri milites non plus numerant quam humeros, laertos, manus; arma enim membra militis esse dicunt, quae quidem ita geruntur apte, ut, si usus foret, abjectis oneribus, expeditis armis ut membris pugnare possint. Quid exercitatio legionum? quid ille cursus? clamor, quanti laboris est? Ex hoc ille animus in

Exercitus dicitur ab exercere.

praellis paratus ad vulnera. Adde pari modo in exercituum militem, mulier videbitur. » Exercitatos hosce imitentur milites et pugiles Christi, ut non uno die, mense, vel anno, sed jugiter per omnem vitam arma tractent, corpus duris vigiliis, jejuniis, laboribus; animum piis orationibus, meditationibus, studiis, lectionibus, exerceant. Ita fient fortes et invicti; ita adversarios superabunt, ita adversa omnia sibi subdant et servare cogent. Hoc unum faciebant olim anachoretae, qui inde ascetae, id est exercitatores, sunt appellati. Idem faciunt nunc canonice et religiosi.

Rursum exercitus significat multitudinem: « Exercitum, inquit Ulpianus, dicimus non unam cohortem, neque unam alam, sed numeros multos militum. » Unde Virgilius, *Enclid. lib. XI*:

...Jaque omnis campis exercitus laet aperis  
...Vires equana, pectat vestis et auri.

Ita miles Christi omnes sensus, omnes animae, potentias, omnes mentis dotes et vires in actum educat, eosque numerosissimos hostibus opponat: Quoniam non est nobis collocatio adversus carnem et sanguinem; sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiie in caelestibus. State ergo succincti lumbos vestros in veritate, et induti loricae justitiae, etc. (*Ephes. cap. vi, 12*). Vide quo ibidem de panoplia militis Christiani annotari.

21. ASCENDENT (q. d. Exurgunt et venient in Ver. 4. Sion, puta in Jerusalem) SALVATORES (id est propugnatores Iudaeorum, quales erant Othoniel, Gedeon, Samson tempore Iudicium) JUDICARE (ut judicent, id est coarctent et subjiciant) MONTES ESAT, — puta Idumaeam. Tales fuere Judas, Simon, Hyrcanus, Alexander, Aristobulus Assamonei, ut superius dixi. *Judicare* enim saepe idem est quod vindicare. Hinc in lib. *Judaeana* Judices vocantur vindices populi Israel.

My-tice, salvatores sunt Christus et Apostoli, qui Israelis hostes, puta Idumaeos, aliasque gentes expugnata idololatria et infidelitate, subegerunt Christo et Sioni, id est Ecclesiae christianae. Ita Clarius, Vatablus et alii, ac S. Augustinus, lib. XVIII *De Civit.* cap. xxxi. Hi exierunt de Sion, id est de specula, orationis scilicet, in qua spiritu Dei animati, igneis verbis quasi telis sauciarunt, ac Dei amore accenderunt horridos Esaitas, id est, infideles et peccatores.

ET TUNC ERIT DOMINO REGNUM. — q. d. Tunc Dominus in hoc suo populo, et per eum alis omnibus imperabit, atque ab eis subditis vicissim agnosceatur et coletur. Hoc inchoate verum fuit in Machabeis, plene in Ecclesia Christi militante, plenissimum erit in triumphante: « Cum subiecta fuerint illi (Christo) omnia, tunc et ipse Filius subiectus erit Patri, qui subiecti sibi omnia, ut ait Deus omnia in omnibus, » ait Apostolus, I *Corinth. cap. xv, 28*. Ita S. Hieronymus et Hugo.

Minus recte Septuaginta, Aquila et Theodotion pro salvatores vertunt, *salvati*. Hebraeorum enim מושיע *mosium* est activum, et significat salvatores, non salvatos; illorum enim est judicare, non horum.

Moralliter, de clementia.

Moraliter, discite hic *primo*, Deum semper vindictam clementia temperare, imo superare, ac in eam desinare: hanc enim ostendit in Idumaeos hostes suos, dum eos facti suum populum et regnum. Idem imitentur reges et principes. Hujus rei hieroglyphicum in Antonini Pii praesens nummis videre est, fulmen in thoro collocatum. Inveniuntur alii, in quibus aquila fulmini insidet, qui ramus olivae est additus. Hoc in suo symbolo Carolus V imperator usurpavit. Aquila significat imperium, fulmen vindictam, oliva clementiam; ut significet Imperatorem vindictam clementia et ratione moderari debere, nec nisi consulto eam torquere. Querit Seneca, *Natur. Quaest. lib. II, cap. LXIII*: « Quare, inquit, id fulmen quod solus Jupiter mittit placabile est, perniciosum vero id de quo deliberavit, et quod aliis quoque diis auctoribus misit? » ac respondet: « Quia Jovem, id est regem, pedes solum oportet, nocere autem non nisi cum pluribus visum est. » Discant ergo prelati et principes, ut fulmen non suo animo indulgentes, sed prudentum consilio obsequentes, ac bene invitati vibrant in noxios.

Regni de clementia et quiete ca-pitibus.

Rursum discite hic summam felicitatem hominis esse, si fiat Dei regnum, si Deus in eo ejusque anima regnet, idque *primo*, quia Deus est rex aequissimus et benignissimus, ac proinde summa aequitate et suavitate imperat; secus est de tyrannicis, quales sunt daemon, mundus et caro, qui iniqua et durissima imperiose et tyrannice jubent animae quae possident. De demone patet in magis et sagis, quibus imperat necesse suorum vicinorum, cognatorum et parentum, ac ni parent, verberat eos maloque mulctat, et tractat ut sua mancipia. De mundo liquet: quid enim non imperat mundus ambitiosus, ut honores; avaro, ut opes consequatur? quas adulationes, quae obsequia, quas vigilas, quas curas, quos metus, quas invidias, quas simonias, quas fraudes, quas usuras? De carne manifestum est in gulosis et libidinosi, quibus caro foedissima quoque impudent, quibus saepe febres, hunc venerem, morbosque et cruciatos acerbissimos, ipsamque mortem sibi conciliant. Ex adverso de Dei et Christi regno cecinit Psaltes, *Psal. XLV, 3*: « Speciosus forma praes illius hominum, diffusa est gratia in labiis tuis; » et vers. 5: « Specie tua et pulchritudine tua intende, prospere procede et regna; » et vers. 7: « Virga directionis (recta, aequa) virga regni tui. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem; » et *Psal. LXXI, 2*: « Judicare populum tuum in justitia, et pauperes tuos in judicio. Suscipiant montes pacem populo, et colles justitiam, » etc.; et *Isaas, xl, 4*: « Judicabit in justitia pauperes, et arguet in aequitate pro mansuetis

terre; » et *XLII, 3*: « Calamum quassatum non conteret, et linum fumigans non exstinguet, in veritate educet judicium. » *Secundo*, quia regnum hoc Dei consistit in gratia et virtutibus, puta fide, spe, charitate, etc., quae sunt dona nobilissima animae a Deo communicata, ut his dirigatur ad Dei obsequium summumque suum bonum. Regit enim mentem Deus, cum ei inspirat sui, id est summi boni, cognitionem amorem, desiderium, cultum, unionem, etc. Jam quid melius quam cognoscere primam veritatem? quid beatius quam amare summam bonitatem? quid dignius quam colere immensam majestatem? *Tertio*, quia hoc regnum dirigitur non ad Dei regentis, sed ad animae quae regitur utilitatem, eamque maximam, nimirum, ut sancte pieque vivendo mereatur gloriam et regnum caeleste, in quo Deum omniaque Dei bona possident in aeternum. Hinc Apostolus, *Colos. 1, 12*: « Gratias, ait, agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum, in lumine: qui eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum Filii dilectionis suae. » *Quarto*, quia regnum hoc subditos non facit viles, sed nobiles, imo reges, juxta illud *Apoc. cap. v, 10*: « Fecisti nos Deo nostro regnum (reges), et sacerdotes: et regnabimus super terram; » et I *Petr. cap. II, 9*: « Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis: ut virtutes annuntietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum. » Annon rex est, qui suis cupiditatibus et passionibus per Dei gratiam imperat? qui superbiam humilitate, avaritiam liberalitate, iram clementia, gulam temperantia, libidinem castitate coarctat, frenat, regit? Annon rex est, qui per rationem, prudentiam, continentiam memorie, voluntatis, appetitus concupiscentiam et irascibilitatis, phantasie, oculis, auribus, linguae, ori, ceterisque potentis et membris sapienter aequae ac fortiter dominatur? Quare merito quotidie a Christo jubemur orare: « Advenciat regnum tuum. » Ubi vere S. Cyprianus: « Qui, inquit, renuntiavit jam saeculo, major est et honoribus ejus et regno; et ideo qui se Deo et Christo dedicant, non terrena, sed caelestia regna desiderant, » imo « Deum ipsum, » quia in illo regnaturi sumus. Et S. Ambrosius, lib. VI *De Sacram.* cap. v: « Si Deus in nobis regnat, locum habere adversarius non potest. Culpa non regnat, peccatum non regnat, sed regnat virtus, regnat pudicitia, regnat devotio. » Ergo, o Domine, esto rex noster, legifer noster, regna in nobis, offerimus tibi animas nostras, omnesque ejus potentias, dotes et limites, nos ipsi eas regere non possumus: ut eas tyranni mundus, caro et demon regant, non vultus; tu, qui eas creasti, et tuo sanguine redemisti, illas ipsas ut tuum pecuniam, ut tuum regnum rege, qui solus regis sapienter, clementer, potenter aequae ac utiliter et feliciter. Sensit hoc rex ille inclutus, qui dicebat *Psal. XXXI, 1*:



« Dominus regit me, et nihil mihi deerit. In loco pascue hie me collocavit. » Et Apostolus, qui suis hoc unum apprecatur : « Dominus autem dirigat corda vestra in charitate Dei et patientia Christi, » II *Thess.* cap. iii, §. Eia, Domine, roge cor nostrum, ut nemini obsequatur, nulli se tradat nisi tibi, ut a nemine nisi a te, tuaque charitate et patientia nobis aspirata dirigatur ad ardua queque tui amore suscipienda, et dura omnia constanter toleranda. Rege pariter linguam nostram, ut non nisi tuas laudes loquatur; rege manus, ut quaecumque tibi placita sunt tractent et peragant; rege pedes, ut inoffenso gressu ad omne bonum ferantur. Ad te cum sponsa in Cantibus suspiramus et clamamus : « Trahe me post te : eurremus in odorem unguentorum tuorum. Dilectus meus mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia. Ego dilecto meo, et ad me conversio ejus.

Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum. » Hoc unicum est anima nostra desiderium, hæc summa votorum nostrorum, ut regnes in nobis per gratiam, et facias nos venire ad regnum tuum celeste, ubi est visio tui manifesta, tui dilectio perfecta, tui societas beata, tui fructio sempiterna; ut in ultimo illo et decretorio mundi die, qui erit horizon eternitatis beate et misere, dispescens electos a reprobis in omne ævum, a te exultantes audire mereamur : « Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi, in quo nobis obtinget certa securitas, secura tranquillitas, tranquilla jucunditas, felix æternitas, æterna felicitas, ubi est amor perfectus, timor nullus, dies æternus, alacer motus, et unus omnium spiritus, » ait S. Augustinus in *Meditat.* cap. ultimo.

JONAM PROPHETAM.

ARGUMENTUM.

S. Hieronymus, epist. ad Paulinum : « Jonas, ait, columba pulcherrima naufragio suo passionem Domini prefigurans mundum ad penitentiam revocat; et sub nomine Ninive gentilibus salutem nuntiat. » Quæres, quis, qualis et quando fuit Jonas? Hebræi nonnulli, quos sequitur S. Dorotheus in *Vita Jonæ*, asserunt Jonam esse filium viduæ, quem mortuum Elias vita restituit; qui factus propheta missusque in Niniven, postea, assumpta matre, fugit in Assyriam; cogitabat enim : hoc pacto tollam probrum meum quod falso contra Niniven prophetando acquisivi : « De diis prodigia super Jerusalem ac totam terram, lapidem videlicet miserabiliter clamantem quod finis appropinquet, et quando ab omnibus gentibus Jerusalem calcaretur, quod tunc civitas illa abolenda esset. » Hucusque Dorotheus. Idem per omnia, excepto lapide clamante, habet S. Epiphanius in *Vita Jonæ*. Audi et S. Isidorus in *Jonæ* : « Jonas columba et dolens, filius Amathi de Geth civitate ad gentium preconium mittitur, missus contemnit, contemnens fugit, fugiens dormit, propter quem periclitabatur navis, sed sors dormientem reperit. Tradunt Hebræi hunc esse filium viduæ, quem a mortuis Elias suscitavit : cujus sepulchrum in quadam urbium Geth in viculo demonstratur, qui est in secundo milliario Sephorim, itinere quo pergitur Tiberiadem. » Addunt Hebræi in *Seder Olam*, et ex iis Mariana, Jonam fuisse illum adolescentem, quem Eliseus misit ut mitteret Jehu in regem, IV *Reg.* cap. ix, §. 1, quique laudavit Jehu ob excisam domum Achab, IV *Reg.* cap. x, §. 30. Adjungunt alii patrem Jonæ fuisse Abdiam prophetam : hunc enim fuisse maritum viduæ Sareptanæ.

Verum quod hi auctores consent Jonam fuisse filium viduæ Sareptanæ, ac consequenter vixisse tempore Eliæ, falsum est, et iisdem rationibus refellitur, quibus initio Abdie probavi Abdiam non vixisse tempore Eliæ, et Achab regis Israel. Adde Jonam hunc vixisse tempore Jeroboam, qui regnavit in Israel eo tempore, quo in Juda reg-

gesti da.

flex est.

In n. s.  
non fuit  
Eliæ Sa-  
reptanæ  
quem  
suscitavit  
vixit

Jonas itaque tempore Abdie et precedentium Prophetarum, scilicet Osee, Joel et Amos sub Jeroboam, Azaria et posteris eorum prophetavit. Ita tradunt Hebræi, S. Hieronymus, Theophylactus, Eusebius in *Chron.*; Clemens Alexandrinus, I *Strom.*; S. Augustinus, lib. XVIII *Civit.* xxvii; Abulensis in lib. IV *Reg.* cap. ix, *Quest.* III, et alii.